diſcumbentes ſplendebant, tanto magis iſtius peccatorum apparebat improbitas, hæc ergo hominis temeritas maximè eius ruinam ſolicitauit, dum ſordidus cùm eſſet inter ſplendentes conuiuas, auſus eſt diſcumbere.

98. Chryſoſt. Quartò. D. Chryſoſtomus homil. 9. in Ioan. *Hoc pacto*, ait, *& nuptias, & conuiuas honorat, cùm temerarios, & impudentes expellit; aliter reliquos inuitatos offenderet.* *Ex ſordido ſocio alij deturpantur.* Cur Rex funeſta hominis nece tam celebrem nuptiarum diem fœdauit? Vt ita conſuleret nuptiarum, ac omnium conuiuarum honori, ex ſordido vnius hominis veſtitu nuptiarum gloria, ac auctoritas conuiuarum maximè deprimebatur, ac deturpabatur.

99. Cyrill. Quintò. D. Cyrillus Ieroſolymitan. in proœmio ad Catech. *Oportebat ipſum*, ait, *cùm videret omnes ſplendidè veſtitos, eiuſmodi quoque capere amictum, verùm ille cibum quidem vna cum alijs ſumebat æqualem, inæqualem autem, & ornatum, & propoſitum habebat.* Expende vltima verba: *Cibum cum alijs ſumebat æqualem, inæqualem autem, & ornatum, & propoſitum habebat.* *Mortiferum, quòd malus iuſtorũ bonis velit frui.* Cur in tanto gaudio ad pœnam fertur homo? Non mirum, nam ipſe cùm ſordidus eſſet, omnium tamen bonorum volebat eſſe particeps, quibus nitidi, ac fulgentiſſimi fruebantur, & quid magis lethale, ac mortiferum, quam ad iuſtorum commoda velle euolare, cùm ab eorum meritis quis longè diſtat?

100. 3.Reg.2. Moriens Dauid mandauit Salomoni, vt Semei interficeretur: *Habes quoque*, ait, *apud te Semei, qui maledixit mihi maledictione peſſima. Tu noli pati eum eſſe innoxium*, &c. 3.Reg.2. num.8. Cur Semei mandatur occidi, nam ipſe poſtulauit veniam à Dauide, 2. Reg. 19 n.20. 2.Reg.19. Ipſéque Dauid fatetur? *Iurauit ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio*, citato loco 3 Reg.2.n.8. *Infidus non gaudeat fidelium commodis.* Nunquam Dauid iuramentum, ac fidem datam violat? Semei degebat inter fideliſſimos clientes, ac aulicos Dauid, omniúmque bonorum illorum particeps exiſtebat, cùm tamen ab amore, ac fidelitate ſeruorum Dauidis longè diſtaret; quamuis enim Semei in aula Regis adeſſet, minimè mente mutatus erat, ſed ſuo antiquo odio feruebat in Dauidem, merito ergo qui in bonis fidelium commoratur, ipſe tamen animo infidus eſt ad extremas pœnas damnatur. Rupertus. Rupertus lib. 4. de gloria Filij hominis: *Non iniuſtè*, ait, *ita hoc facto inuenitur Dauid, quia non vero corde reconciliationem quæſiuit Semei, non præ deſiderio iuſtitiæ pœnituit, ſed ſeruili metu pœnæ concidit, quia Rex, quem oderat in corde ſuo, iterum ſalutatus in regno ſedit, mutauit vocem, non mutauit mentem.* Dauid promiſit vitam, ſi vir bonus, & fidus eſſet, at cùm eſſet animo infidelis, indignus extitit, vt vita, ac fidelium bonis frueretur. *Mutauit vocem, non mutauit mentem.* Vide ſuprà cap.39.n.47. & 48.

CAP. XLV.

Tributum Cæſaris.

Matth.21. num.15. Tunc abeuntes Phariſæi, concilium inierunt, vt caperent eum in ſermone.

Num.16. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis dicentes: Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonam hominum.

VERSIONES.

Vatabl. n.15. Tunc profecti Phariſæi concilium cœperunt, quo pacto illaquearent eum in ſermone.

Syriacus. Quomodo aucuparentur eum in ſermone.

S. Hilarius. Vt caperent eum in verbo.

Syriac. n.16. Mittúntque ad eum diſcipulos ſuos cum domeſticis Herodis, & dicunt ei: Doctor, nouimus te eſſe veracem, viámque Dei in veritate docere, ac nullius ſuſtinere curam, nec enim es acceptor facierum hominum.

Græcus. Cum his, qui erant de domo Herodis.

S. Hieron. Quòd ad te non pertinet de hominibus.

Vatablus. Scimus te veracem eſſe, & viam Dei cum veritate docere, neque curare quemquam.

ALTER TEXTVS.

Marc 12.n.13. Et mittunt ad eum quoſdam ex Phariſæis, & Herodianis, vt eum caperent in verbo.

Num. 14. Qui venientes dicunt ei: Magiſter ſcimus, quia verax es, & non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, ſed in veritate viam Dei doces.

Luc.20.n.20. Et obſeruantes miſerunt inſidiatores, qui ſe iuſtos ſimularent, vt caperent eum in ſermone, vt traderent illum principatui, & poteſtati præſidis.

Num.21. Et interrogauerunt eum dicentes: Magiſter ſcimus, quia recta dicis, & doces: & non accipis perſonam, ſed viam Dei in veritate doces.

EXPOSITIO I.

1. Carthuſ. Hugo. Burgenſ. TVNC. Eodem illo die Martis poſt Dominicam Palmarum, vt notant Carthuſianus, Hugo, Lucas Burgenſis, & alij. *Tunc.* Auditis nempe parabolis de vinea, ac nuptiis filij regis. *Abeuntes Phariſæi.* Digreſſi nempe à loco ſermonis Domini, ac proinde ſeorſum ad locum ſecretum ad ineundum conſilium receſſerunt, vt notat Abulenſis quæſt.71. Abulenſ. Semper iniquitas fugit publicum, & quærit ſecretum. *Iniquitas fugit publicũ* Matth.21. *Phariſæi:* has Domini parabolas ſimul audierunt Phariſæi, *Principes Sacerdotum, & ſeniores populi:* vt patet ſuprà Matth.21. num.23. & 45. & tamen Phariſæi ſolum hic exprimuntur, quia ſub Phariſæis illi alij intelliguntur, vt innuunt D.Marcus, & Lucas, vel etiam, vt ait Abulenſis quæſt.73. Phariſæi fuerunt præcipui, ac magis ſoliciti in hoc conſilio tanquam maiorem religionis, ac populi zelum oſtendentes. *Zelatores ſæpe rempublicam deſtruunt.* *Expedit vobis, vt vnus homo moriatur.* Sæpe ab his qui multum zelum ſimulant, totius reipublicæ excidium paratur: *Conſilium inierunt*; & fruſtra cùm nullum conſilium ſit contra Dominum.

2. Græcus. Auguſt. *Vt caperent eum in ſermone.* Græcus habet, *vt illaquearent eum*, ſuomet ſermone, tanquam aues illaqueantur in reti. Nam vt ait D. Auguſtinus lib.1.contra Creſcon. cap.17. *Bicipiti complexione inſidiantes, vt quodlibet eligens caperetur. Si licere reſponderet, tanquam reus eſſet aduerſus populum Dei; ſi autem diceret, non licere, tanquam Cæſaris aduerſarius perimeretur.* Iudæi cùm ſe liberos eſſe dicerent vtpote filios Saræ ægrè ferebant, quòd tributa ſoluerent, & ideo ſi Chriſtus concederet, volebant eum arguere, vt populi aduerſarium, ſi verò negaret, eum intendebant accuſare vt reum læſæ maieſtatis, ac Cæſaris præſidi vt morte mulctandum traderet, quod ſignificat D.Lucas, D.Luc. *vt traderent illum principatui, & poteſtati præſidis.*

3. Chryſoſt. *Et mittunt diſcipulos ſuos*, vt ait D.Chryſoſtomus in Imperfecto homil.42. *Quale conſilium, tales, & conſultores*, ab iniquis prodit iniquum, & turpe conſilium. *Mittunt diſcipulos ſuos*; quia vt ex citato Chryſoſtomo, inquit Hugo. Chryſoſt. Hugo. Ætate ſuis magiſtris minores, malitia, ac nequitia æquales; *Ab impijſsimpium conſilium.* nam & pulli ſerpentium ſtatura breuiores, veneno autem æquales ſunt. *Mittunt diſcipulos ſuos.* Paſchaſ. Carthuſ. Non iuerunt Phariſæi, vt notant D.Paſchaſ.lib.9. Carthuſ.& alij, quia ipſi cogniti erant à Chriſto. Diſcipuli autem putabantur ignoti ab illo, vt tunc Chriſtus nihil mali ſuſpicans liberius loqueretur. Syrus. *Cum Herodianis.* Syrus: *Cum ijs, qui de domo Herodis erant*; eiúſque domeſtici, ac familiares erant, qui etiam vt eſt probabilius exactores tributorum extabant.

4. *Magiſter.* Adulatoriis verbis blandire volunt, vt laude ineſcatus eis mentem, animúmque ſuum aperiat, ipſis laudibus inflatus audax reddatur ad contemnendas communes leges; à quatuor, Alb. Magn. vt inquit Albertus Magnus, ab auctoritate magiſterij: à veritate ſermonis: à veritate doctrinæ: à veritate iudicij ſine acceptione perſonarum. *Magiſter:* Magiſtrum vocant; cuius nolunt eſſe diſcipuli, quem magiſterio, fama, ac vita priuare conantur. *Scimus quia verax es*, larga experientia agnoſcimus te eſſe veritatis Doctorem, & Magiſtrum. *Et viam Dei in veritate doces*; docéſque, vt inquit Euthymius, viam, ac modum quo ad Deum, eiúſque gratiam, ac gloriam pergitur. Euthym. Seductorem vocabant, vt inquit D. Chryſoſtomus homil.71. Chryſoſt. *Quomodo igitur*, ait, *ſeductor eſt, & ſeducit turbam? adulatione nunc putant, ita eum inflare, & audacem reddere, vt contra inſtitutas leges quidpiam dicat.* Ex opinione eius ab omnibus concepta, ne eam deperdat, ipſum volunt pignorare, vt aliquid contra leges dicat, vt eum arguere valeant, *Sua immineñti opinione pignorare volunt.* *non eſt tibi cura de aliquo.* Non prætermittis, vt explicant D.Thomas, Carthuſianus timore alicuius, quod debes dicere, vel facere. D Thom. Carthuſ. Syriacus. *Non enim reſpicis perſonam hominum.* Syriacus, *faciem hominis*, an ſit regis, vel diuitis. Contra Deum; ille enim reſpicit faciem hominis contra Deum, qui ratione hominis dimittit dicere veritatem, quam debet dicere, vt explicat D.Paſchaſius. Paſchaſ.

QVÆSTIO I.

Quare tam accuratè Euangeliſta notat tempus quo Phariſæi hoc conſilium inierunt?

AIT Euangeliſta: *Tunc abeuntes Phariſæi.* 5. Illud, *tunc*, denotat tempus, poſtquam ſcilicet Phariſæi proximè ſcriptas parabolas de vinea locata Agricolis, Matth.21. n.33. & parabolam de nuptiis filij regis, Matth.22.n.1. Tunc cum audiſſent has parabolas abierunt ad hoc conſilium, vt notant D. Paſchaſius lib.9. in Matth.& Abulenſis quæſt.70. Paſchaſ. Abulenſ.

6. Chryſoſt. Ad quæſtionem reſpondet D. Chryſoſtomus homil.71.in Matth. dicens: *Tunc iſtud quando ſignificat? quando maximè illos compungi oportuit, quando clementiam ipſius admirari debuerunt, quando futurorum euentus erant expaueſcendi.* Tunc, denotat tempus, quando prædicata fuit parabola de vinea locata, in qua ob ſeruos Patrisfamilias occiſos; Dominus contra Iudæos promulgauit ſententiam. *Auferetur à vobis regnum Dei.* Denotat etiam, *tunc*, tempus poſt immediatam ſuperiorem parabolam de nuptiis filij regis, in qua ob ſeruos occiſos inuitantes ad conuiuium protulit Dominus ſententiam contra ipſos. *Rex cùm audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit.* Ob ergo ipſa ſupplicia comitata debebant Phariſæi compungi, *Summa Dei pietas dat locum ad pœnitentiam.* gratulantes Dei pietatem, quæ ſic eos commonebat dans locum pœnitentiæ, & veniæ. Vide cap.21. num.75.76. & cap.24. num.91. & cap.28. num.37.

7. *Quando futurorum euentus erant expaueſcendi.* Ob tot pœnas denunciatas, *malos malè perdet.* Et iterum, *perdidit homicidas illos.* Tanta tamen fuit Phariſæorum nequitia, quòd his auditis minimè commouerentur, vt à ſua nequitia deſiſterent, *Imminen[illegible]* ſunt homines adeo proterui, vt nulla comminata pœna, nullóque imminenti ſupplicio, emendari, ac vitam reformare velint.

8. Thren 4. *Maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento*, Threnorum 4. num. 6. Vndenam effecta eſt grauior malitia Iudæorum, quàm Sodomorum? præcipuè cum Iudæi vixerint ſub Dei lege cum templo, ac ſanctis Prophetis. Hieruſalem multos habuit communes, & publicos admonitores Iſaiam, Ieremiam,

remiam, qui magna voce, ac multis lachrymis eius deſolationem per Aſſyrios prædicabant. At Sodoma talibus, communibus, ac publicis admonitoribus caruit, nam Lot tantum ad duos generos ſuos locutus eſt, *& egredimini de loco iſto*, Geneſ. 19. num. 14. Inde ergo grauior effecta eſt iniquitas filiæ Sion, nam cùm eius deſolatio per multa tempora eſſet publicè denunciata à Sanctis Prophetis, noluit reſipiſcere, & pœnitentiam agere. Hugo. *Magis iſti Sodomitæ peccarunt quantum ad hoc, quod illi nec legem, nec Doctores habuerunt.* Quibus ſcilicet Iudæa abundabat.

Summa malitia ex admonitione nõ emendatur, Geneſ. 19.

Hugo.

9. Prima vice accedunt Moyſes, & Aaron ad Pharaonem cum multa modeſtia ex parte Dei denuntiantes, vt populum dimittat. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum.* Exod. 7. n. 10. Accedit Aaron ad loquendum cum Pharaone hac vice prima, cur non gladium, lanceam romphæam ſecum addu-ducit, ſed tantum virgam ſimplicem? Quid nefarius Rex virgam contra ſe timebit? Perpende myſterium. Defertur virga lenis, & mitis, quia ſi ipſa lenis admonitio de dimittendo populo contemnatur, & non proficiat, conuertetur in horribilem omnium tormentorum Draconem, qui eos omnes deuorabit, & conſumet. D. Bruno apud Tilman. in allegor. *Venit Moyſes*, ait, *ad Pharaonem, non cum gladio, ſed virga. Vnde ſi pœnitere noluiſſet, facilem ad ignoſcendum Deum per hoc cognoſcere poterat; ſed quia pœnitere noluit, in colubrum virga conuertitur, vt maioribus dignus ſuppliciis, maioris correctionis tormenta ſe expectare intelligat. Et ideo, qui virga non corrigitur, draconi, id eſt Diabolo traditur.*

Qui admonitus nõ emendatur, deuoratur à pœna.

S. Bruno.

10. Ait Regius Vates. *Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Pſal. 17. n. 9. tamquam præludium diuinæ iræ, ait, quòd aſcendit fumus ignem furoris Domini denuntians ad excitandas pœnitentium lachrymas. D. Auguſtinus ibi. *Aſcendit fumus, aſcendit lachrymoſa deprecatio pœnitentium, cùm cognouiſſet, quòd minetur Deus impiis.* At ſi iſta Aſcenſio fumi contemnitur, & deſpicitur, irreparabilia poſt ſe infert incendia, ignis furoris Domini & carbones ſuccenſi, fulgura nempe, & tonitrua, vt explicat Lorinus, quod vt ait Theodorus Anthiochenus; *Longam vindictam innuit.* Vbi enim ſunt carbones ſuccenſi, omnia in fauillas, & cineres conuertunt, nulliuſque rei veſtigium poſt ſe relinquunt; in talem ignem deuorantem incidunt, qui cùm vident fumum diuinæ iræ non emendantur.

Pſalm. 17.

Auguſt.

Si admonitio contemnitur, ignis deuorabit.

Lorinus.

Theodor.

QVÆSTIO II.

Quare Phariſæi conati ſunt Ieſum potiùs capere in ſermone, quàm in opere?

11. PHARISÆI faciunt conſilium, vt caperent Ieſum in ſermone, ſeu vt habent Codices Græci, vt *illum illaquearent in verbis ſuis*, vt ſcilicet propoſita captioſa quæſtione de tributo Cæſaris, ex ore ipſius aliquod verbum, ſeu reſponſum haberent, ad calumniandum, ac arguendum eum. Et ideo vt notat Chryſoſtomus homil. 71. mittunt diſcipulos cum Herodianis, *vt plurimorum teſtimonio res pateret, & negari non poſſet.*

Chryſoſt.

12. Phariſæi, ac Principes Sacerdotum omni conatu volebant Chriſtum Dominum occidere, vt ſcribit D. Lucas in præſenti. *Et obſeruantes miſerunt inſidiatores, vt caperent eum in ſermone, & traderent illum principatui, & poteſtati præſidis.* Timebant tamen populum, & ideo non audebant eum tenere, ac apprehendere, vt ſcribit D. Matth. 21. num. 46. Volebant ergo habere occaſionem ad eum accuſandum, ac arguendum, & non determinant ipſum capere in operibus, & factis, quia apertè videbant vitam eius eſſe puram, ſanctam, ac irreprehenſibilem, & tanta rei euidentia, odium eorum non quieſcebat, ac mitigabatur. Vide ſuprà cap. 8. num. 29. 30. & 31. & cap. 23. num. 29. 30. & 31.

D. Lucas.

Matth. 21.

Phariſæi mortẽ Chriſti machinabantur.

Et quamuis Phariſæi aliquando aliqua obiicerent contra Chriſtum. Dixerunt enim: *Ecce homo vorax, & potator vini.* Matth. 11. num. 19. & quod cum peccatoribus, & publicanis manducaret. Matth. 9. num. 11. Et tandem quod hominem curaſſet in Sabbato. Ioan. 9. num. 16. Tamen nullum ex his hic obiiciunt cõtra Chriſtum, nam quod eſſet vorax, & potator vini apertè, ac euidenter erat falſum. Quòd verò cum publicanis, ac peccatoribus manducaſſet, ac hominem in Sabbato curaſſet, nullus erat defectus, ſed ſumma ſanctitas, religio, ac pietas; & quamuis, vt ait Abulenſis q. 78. hoc ab ipſis Phariſæis iudicaretur malum, & imperfectio, non tamen erat morte dignum, & ideo de illis hic non curabant, nec allegabant contra Chriſtum Dominum cui volebant mortem inferre, vnde etiam paſſionis tempore, hæc etiam contra Chriſtum non obiecerunt. 13.

Matth. 11.

Matth. 9.

Ioan. 9.

Abulenſ.

Voluerunt ergo eum capere in ſermone, vt diceret aliquid, propter quod eſſet reus mortis, nam ſæpe inter dicendum, ac loquendum præter opinionem, ac intentionem inter homines communiter proſiliit aliquod verbum incautum, an ita hic contingeret, obſeruare voluerunt Phariſæi propoſita captioſa, ac periculoſa quæſtione vtpotè ad res politicas pertinente; falluntur tamen, nam ab infinita ſapientia omnia in ſapientia fiunt. 14.

Aliquando inter homines proſiliit verbum incautum.

Cùm Eſau agnouiſſet benedictionem ſuam furatam fuiſſe à Iacob. *Oderat eum Eſau pro benedictione, qua benedixerat ei pater, dixitq; in corde ſuo: venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Nunciata ſunt hæc Rebeccæ*, Gen. 27. num. 41. Communis quæſtio, ſi illa tantum dixit Eſau *in corde ſuo*. Quomodo nunciata ſunt Rebeccæ? Solus enim Deus agnoſcit cogitationes cordis hominum; vt ait Iſaias. Quomodo ergo quæ latebant in corde, foras prodeunt, & matri nunciantur? Quamuis Eſau illud haberet abſconditum in corde ſuo, quia tamen ex affectu cordis os loquitur, aliquando incautè cecidit vnum verbum, quod dictum eſt matri. Lyppoman. *Non ſolum igitur*, ait, *corde tractabat odium Eſau, ſed verbis etiam ſibi temperare non potuit, quin proderet conſilium occidendi fratrem.* 15.

Geneſ. 27.

Eſau incautè eructauit ſecretum ſui cordis.

Lyppom.

QVÆSTIO III.

Quare Phariſæi mittunt diſcipulos ſuos cum Herodianis, & quinam eſſent Herodiani?

QVINAM eſſent Herodiani non ſatis conſtat. Prima ſententia eſt D. Hieronymi in Dialogo aduerſus Lucifer. ad finem. D. Epiphan. lib. 1. Hæreſi. 20. D. Damaſceni lib. de Hæreſibus, Tertullian. lib. de Præſcrip. Abulenſ. quæſt. 81. Qui dicunt Herodianos fuiſſe hæreticos Iudæorum, qui Herodem Aſcalonitam dicebant eſſe Meſſiam, ſiue Chriſtum à Prophetis promiſſum eo quòd viderant, quod ipſo regnante ſceptrum de Iuda defeciſſet iuxta oraculum Iacobi, Gen. 49. num. 10. In qua etiam ſententia conueniunt Theophylactus, & Euthym. hic, ac Philiaſtrius lib. de Hæreſibus, cum hac tamen differentia quòd pro Herode Aſcalonita conſtituant eius filium Herodem Antipam, qui patre mortuo ſucceſſit in regnum, & Ioannem Baptiſtam occidit. Sed nec Ioſephus, nec Hegeſippus, nec alius Auctor antiquus ſcribit, quòd Herodes Antipas habitus fuiſſet Meſſias à Iudæis, & apertè D. Hieronym. hic hoc negat; ſecta autem illa, quòd Herodes Aſcalonita eſſet Meſſias, cùm ipſe eſſet mortuus, iam vel penè extincta erat, vel parum vigebat. 16.

Quinam Herodiani?

Hieron.

Epiphan.

Damaſcen.

Tertull.

Abulenſ.

Theophyl.

Euthym.

Gen 49.

17. Secunda ſententia affirmat Herodianos eſſe miniſtros, qui tributa Cæſari Romano ſoluenda colligebant: Sic verò dicti, quia creati fuerunt ab Herode Aſcalonita, qui totus Cæſareanus erat, rex enim Iudææ creatus fuit à Cæſare, ac Senatu Romano, & pro colligendis tributis Cæſaris præerat in Iudæa, vt ait Ioſephus, quod etiam de Herode Antipate iam mortuo patre ſuo teſtatur in præſenti D. Hieron. Idem docent Origen. homil. 20. in Matth. N. D. Cyrillus Alexandrin. lib. 2. in Iſai. cap. 11. D. Paſchaſ. lib. 9. in Matth. Euſebius Emyſſenus homil. in Dominic. 22. pòſt Pentecoſt. & D. Antonius Vlyſſippon. & hic Albertus Magn. D. Thomas, Hugo, & alij, & hæc ſententia mihi probabilior; quia ideo in quæſtione propoſita de tributo Cæſaris Phariſæi eos cum ſuis diſcipulis deſtinauerunt ad Chriſtum.

Ioſephus.

Hieron.

Origenes.

Cyrill.

Paſchaſ.

Euſebius.

Antonius.

Alb. Magn.

D. Thom.

Hugo.

18. Tertiò. Sunt etiam aliqui Recentiores, vt Barradas, qui dicunt Herodianos fuiſſe viros, ex domo Herodis, quia ipſe illis diebus erat Hieroſolymis, vt conſtat, & ad eum miſſus eſt Chriſtus à Pilato; & fauet lectio Syriaca, nam pro Herodianis habet, *cum ijs, qui erant de domo Herodis:* ſeu cum domeſticis Herodis.

Barradas.

Syriacus.

19. Mittunt ergo Phariſæi diſcipulos ſuos ad Chriſtum cum illa quæſtione captioſa, an dandum eſſet tributum Cæſari: quia ſi Chriſtus concederet, in inuidiam, ac iram Iudæorum incideret; Si verò negaret dandum eſſe tributum, tunc accuſaretur, vt aduerſarius Cæſari, ac populo Romano; & ad hoc Phariſæi ſubmittunt Herodianos cum ſuis diſcipulis, quia ſi Chriſtus negaret, Herodiani, tanquam tributorum exactores Chriſtum arguerent, & accuſarent, vt reum læſæ maieſtatis. Ac proinde accuſationem, quam Phariſæi producere affectabant contra Chriſtum, in ipſos Herodianos retorquere volebant, ſe veluti in tali negotio immunes exhibentes, quod proprium diaboli ingenium eſt. Vide ſuprà cap. 9. num. 17. num. 36. & cap. 10. num. 19. & cap. 34. num. 10.

Culpam ſuã in alios referre volebant.

20. Secundò. Chryſoſtomus in Imperf. homil. 42. ſic ait: *Phariſæi quo abierunt? Ad Herodianos, qui in diaboli iniquitatibus ambulabant, diaboli adiutorium neceſſarium habet. Sic & iſti conuenienter, non ad ſeruos Dei, viros religioſos, ſed ad Gentiles, id eſt, Herodianos ſe contulerunt. Quis enim poterat dare conſilium contra Chriſtum, niſi diabolus?* Non ſe conferunt Phariſæi ad viros probos, ſed ad Herodianos. Phariſæi diaboli membra, ſic eis dixit Chriſtus: *Vos ex patre diabolo eſtis*, Ioan. 8. Herodiani diaboli etiam membra: & vnum diaboli membrum, cui coniungeretur niſi ad aliud? Similes cum ſimilibus facillimè congregantur.

Chryſoſt.

Mali cũ ſuis ſimilibus cõgregantur.

Ioan. 8.

Tertiò. Phariſæi mittunt ſuos diſcipulos cum Herodianis, qui idem erant, ac publicani, tributorum exactores, qui erant valde execrabiles apud Iudæos, & tanquam publicani peccatores reputabantur. Phariſæi calumniabantur Chriſtum Dominum dicentes diſcipulis eius: *Cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter*, Matth. 9. num. 11. Et tamen cum his, ſeu ſimilibus mittunt diſcipulos ſuos. Quia ſæpè id, quod in aliis ex odio damnamus, & reiicimus, ex amore in noſtris admittimus, & approbamus. Vide tom. 3. cap. 3. q. 6. n. 43. 21.

Matth. 9.

Quod in vno ex odio reijcimus, in alio ex amore approbamus.

Quartò. Phariſæi habebantur tanquam viri religioſi, & qui magnum religionis zelum præ ſe ferebant. Et tamen diſcipulos ſuos mittunt cum Herodianis, qui vtpote tributorum exactores, tanquam publici peccatores ab omnibus reputabantur: Phariſæi volebant ad ſe conuocare homines contra Chriſtum, & ideo non attendunt ad hos, vel ad illos, vel ad conditionem vniuſcuiuſque, ſed omnes indiſtinctè affectant ad ſe adducere, qui enim mala mente cogitat homines ad ſe aggrauare, ac attrahere, nullius conditionem reſpuit. 22.

Qui vult ad ſe congregare homines nullius conditionem reſpuit.

Abſalon mane conſurgens ſtabat iuxta palatij introitum, & omnem virum, qui veniebat ad negotium cum rege, vocabat ad ſe, dicebàtque illi: *Videntur mihi ſermones tui boni, & iuſti*, 2. Reg. 15. num. 3. & ſubditur ibi: *Faciebatq; hoc omni Iſraël venienti ad iudicium.* Omnes ad ſe conuocabat Abſalon ſine vlla diſtinctione, ſiue, vt ait Lyranus eſſent pauperes, vel diuites, ſiue vt ait Abulenſis eſſent magni, vel parui, boni, vel mali; omnes ad ſe Abſalon vocabat, omniúmque cauſas bonas, ac iuſtas eſſe dicebat. Abſalon, vt dicitur in textu ibi n. 6. *Solicitabat corda virorum Iſraël.* Omnes volebat ad ſe coadunare, ac conuocare, aduerſus patrem ſuum Dauidem, ideo abſque vllo diſcrimine omnes ad ſe vocabat, omniúmque cauſas, vt bonas, & rectas publicabat. 23.

2. Reg. 15.

Lyran.

Abulenſ.

Quærebat Abſalon homines omnes admittebat.

Cùm Dauid degeret per deſerta: *Conuenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo*, 1. Reg. 22. n. 2. Satis agitata quæſtio, quomodo Dauid vir iuſtus, & ſanctus, hos oppreſſos ære alieno ad ſe recipiebat, eóſque ſecum patiebatur? Nam ex hoc videbatur damnum ſuis creditoribus prouenire, ne eius debita ſoluerentur. Reſpondet Abulenſ. q. 4. *Dauid aggregauit ad ſe multos pugnatores ad defenſionem ſuam contra Saül, recipiebat autem eos neceſſitate compulſus.* Vt ſubdit in ſolutione ad 1. Dauid voluit ſecum habere viros bellatores pro ſui defenſione contra Saül, qui eum crudeliter perſequebatur, & ideo venientes ad ſe recipiebat, quamuis aliàs alienis debitis eſſent onerati. 24.

1. Reg. 22.

Abulenſ.

QVÆSTIO IV.

Quare diſcipuli Phariſæorum Chriſtum Dominum de veritate laudant, & commendant?

ACCEDENTES diſcipuli Phariſæorum ad Chriſtum cum Herodianis, blandis, & adulatoribus 25.